



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1204. Usque Ad Annum 1230

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1763

VD18 90118030

§. 51. Imperatores Græci Niceæ & Thessalonicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66406)

Sæcul. XIII. omnes cohortatus, ut Roberto Regi ob-
A. C. 1222. sequerentur, & ipsi animis conjuncti
 essent. Quia vero inter hostes Latini
 nominis Theodoro Comneno Epiri Prin-
 cipe nemo ferocius imminebat, Papa dis-
 tis ad eum literis monuit, hortatus est
 ac rogavit, ut ad pacis perpetuæ fœde-
 ra cum Roberto Imperatore paugenda
 animum adjiceret.

7. ep. 374.

Cum graves querelæ ad aures Hono-
 rii Papæ contra Mathæum, quem ad Di-
 gnitatem Patriarchalem urbis Constans-
 tinopolitanæ evexerat, delatæ fuissent,
 die decima septima Junii dedit ad eum
 Epistolam in hunc ferme modum: *Mis-
 sam rarissime celebras, cum excommuni-
 catis communicas, pacta iniqua contra
 alias nationes cum Venetis iniisse dico-
 ris. Quos Legatus noster excommunicatis
 absolvis, Appellationis ad Nos inter-
 etæ nulla tibi ratio est, monitum ergo te
 volumus; ne nos ad destruendum in te
 pus nostrum compellas. Sape tibi metipsum
 & errata emenda.*

§. LI.

*Imperatores Græci Niceæ &
 Thessalonica.*

*Niceph.
 Greg. lib. 2.
 c. 1.*

Hoc anno millesimo ducentesimo vige-
 gesimo secundo, Theodoro Lascaris
 Imperatori Græcorum Constantinopolita-
 nus

tano, Niceæ sedem tenenti, postquam annos octodecim, capta Constantinopoli, imperasset, sine prole fatis functo, successit Joannes Ducas Vatacius, ejus gener, qui Theodori filiam Irenem uxorem acceperat. Joannes annum ætatis agebat vigesimum septimum, tribusque haud plus annis in solio sedit, Princeps rebus gerendis aptus, negotiis intentus, & propositi tenax, consilia amicorum explorabat, nihilque intentatum relinquebat, quo destinata exequeretur. Unde ipso imperante res Latinorum semper in pejus ruere visæ sunt. In alia Orientis parte Theodorus Comnenus, cum abesset Demetrius Rex Latinus Thessalonicæ, in Italiam profectus ad contrahenda auxilia, tempore usus, Thessalonica occupata, Imperatorem se appellari jussit, atque Archiepiscopo Thessalonicensi ei coronam imponere recusante, ab Archiepiscopo Acridano seu Locridano in Bulgaria, jam ab ætate Justiniani Imperatoris Primatum confucuro, coronatus est. Ita Principes in orbe quatuor existebant, Robertus Cortenacensis, tunc urbis Constantinopolitane Dominus, Joannes Vatacius Niceæ, David Comnenus Trapezunte, & Theodorus Angelus Comnenus Thessalonicæ residens, Imperatoris Constantinopolitani nomine gloriabantur. Joannem

Sæcul. XIII.
A. C. 1222.

Georg.
Acrop. n. 18.

Sup. Lib.
XXXII.
p. 50.

Hist. Eccles. Tom. XIX, Q9 Va-

Sæcul. XIII. Vatacium Imperatorem Manuel *Charitopulus* Patriarcha coronavit; nam Michaelis Autoriano defuncto, Theodorus Ironicus cognomento *Copas* die Dominica vigesima Septembris anno millesimo ducentesimo decimo quinto ordinatus fuerat. Ei, elapso sexennio, anno millesimo ducentesimo vigesimo primo, successit Maximus, Monachus Abbas Acemetarum, qui istud in Ecclesia fastigium feminarum in Regia dominantium favori in acceptis referebat. Verum tanto honori Maximus amplius quam mensibus sex superstes non fuit, eique Manuel *Charitopulus*, cognomento Philosophus, subrogatus est.

§. LII.

S. Engelbertus Germaniæ Rector.

Anno millesimo ducentesimo vigesimo postquam Fridericus Imperator Henricum filium suum natu majorem in Comitibus Francofordiensibus Regem Romanorum salutari curasset, in Italiam profectus, eundem cum Vicarii potestate in Germania reliquerat. Quia vero necdum annos pueriles erat egressus, filii adolescentiam Principibus commendavit, eique Tutorem ac Imperio in Germania Moderatorem addidit Engelbertum, Archiepiscopum Coloniensem, cujus viri merita satis perspecta sibi habebatur.

*Alb. Stad.
& Godefr.
1220.*

Sup. n. 37.